

## CASUS DE PECCATIS

*De peccatorum gravitate, de distinctione specifica et numerica; de peccatis internis; de peccatis capitalibus, præsertim de ebrietate.*

### CASUS I.

#### DE GRAVITATE PECCATI.

1° MÆVIUS, vir bonæ voluntatis, et satis pius, variis tentationibus diu noctuque exagitatus obrutusque, frequenter dubitat utrum consensum præstiterit. Anxietate speciali laborat ob phantasmata quædam, vel etiam actus minus decentes, quos in levi somno expertus est, ut sibi videtur.

2° CYRINUS vero, parum pius, attamen de salute sane non omnino incuriosus: 1° Scrupulos omnes circa pravas cogitationes facile contemnit, licet curiosius liberiusque quidquid occurrit aspiciat, vel audiat, imo licet motus deordinatos experiatur, sic statuens: *Deliberate non consensi, quia argumenta pro et contra non perpendi.* 2° Licet omnia peccata mortalia vitare velit, ne gehennæ pœnam incurrat: nullatenus tamen de venialibus curare satagit, imo nullum omnino vitare proponit. 3° Advertens ad motus turpes in corpore exurgentes, mere passive se habet.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quid requiratur ad peccatum mortale?*  
2° *An graviter peccasse censeatur MÆVIUS in primo casu?*  
3° *Quid de CYRINO in secundo casu?*

SOLUTIO :

141. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Triâ ad peccatum mortale requiruntur: 1° materia gravis, vel in se, vel in fine, vel in circumstantiis; 2° advertentia plena ad malitiam gravem actus; 3° consensus plenus voluntatis. *V. Comp. n. 150.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Jubendus est MÆVIUS, ut bono sit animo. Minime censendus est consensus, saltem perfectum, tentationibus præstitisse. In dubio enim de perfecto consensu, in favorem pœnitentis judicandum est, si timoratæ sit conscientiæ, et ordinariæ a peccato mortali abhorreat: atqui talis sane perhibetur MÆVIUS, ut ex casu patet: ergo abjiciat quoque anxietatem qua torquetur ob nocturna phantasmata, actusque minus castoquorum aliquam habuit conscientiam, Etenim, si nesciat an vigilans aut dormiens, ac sui compos vel impos aliquid mali fecerit, ex hoc ipso probatur in illo plenam defuisse advertentiam. Præterea, sequentem accipe regulam: *Si nunquam aut fere nunquam, decurrente die, similes actus admittas, et ab eis abhorreas, argumentum est te, neque noctu, peccati, saltem mortalis, arguendum esse. V. Comp. n. 156.*

142. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Quid vero de CYRINO? Non est ei indulgendum: laxæ enim conscientiæ omnino videtur; ergo in dubiis severe judicandus est, siquidem contra ipsum stat præsumptio. Hinc :

1° Graviter peccare censendus est CYRINUS tantam incuriam et temeritatem, in rebus adeo periculosis, admittendo: etenim cum a peccato mortali non abhorreat, neque ab occasionibus in illud incidendi præcaveat, facillime illo inquinari potest, etiam quin clare id percipiat. Insuper, nonne peccati mortalis reus evadit eo ipso quod ejus periculo ita facile absque ratione se exponat? Nec valet CYRINI excusatio ex hoc deducta, quod in perpendendo periculo non immoratus fuerit; sufficienter enim illud, *in confuso* saltem, apprehendit.

2° Non peccat mortaliter, *per se*, seu *speculative loquendo* in secundo casu, sola mortalia vitare intendens; quia, si reapse omnia mortalia effugiat, periculum gehennæ non incurret. Ast in praxi res est periculo plena; cum facilitas peccandi venialiter causa sit cur anima debilitetur, et facile gravi tentationi succumbere valeat. Et revera qui dicunt se velle omnia, et sola mortalia vitare, numquid reapse omnia mortalia effugere satagunt? Quid ipse CYRINUS? Ex modo dictis satis liquet illum a lethali peccato immunem non fuisse.

143. — 3° Graviter peccat in tertio casu, se passive habendo circa motus concupiscentiæ, saltem si graves sint; quia, seclusa resistentia positiva, facile hujusmodi motus voluntatis consensum trahunt: si autem motus essent leves, vel si alteri virtuti præter castitatem opponerentur, omissio resistentiæ positivæ veniale peccatum non excederet, modo absit consensus periculum. Imo omni culpa vacabit, accedente justa causa, v. g. si resistentia positiva tentationem augeat, etc., *S. Lig. l. 5, n. 6 et 9.*

### CASUS II.

#### DISTINCTIO SPECIFICA PECCATORUM 1°.

ALEXANDER, parum scrupulosus; sat celeriter et compendiose confitetur, et minus attendit ad species quam ad numerum peccatorum. Quare :

1° Accusat quidem prava desideria, sed prætermittit eorum objectum, necnon personarum specialem qualitatem.

2° Accusat etiam furta, gestus et aspectus pravorum; sed tacet se singula hæc in loco sacro, vel erga personas sacras, aut propinquas perpetrasse.

3° Detrahit in Ecclesia, dum fieret Sacrum, de *Sempronio* Sacerdote, necnon de *Caio*, Religioso, imo de Sacerdotibus et Religiosis in genere, et sic confitetur: « Pluries detraxi in materia gravi. »

HINC :

- QUÆR. 1° *Quid sint species peccatorum; quomodo distinguendæ sint et accusandæ?*  
2° *An omnes circumstantiæ in præfatis casibus sint declarandæ in confessione?*

## SOLUTIO :

144. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Species peccatorum sunt diversæ juxta eorum classes, omnino vel saltem notabiliter dissimiles, quæ mutantur pro varietate morali creaturarum ad quas peccator illicite se convertit : species igitur peccatorum consistit in particulari malitia, qua unum peccatum ab alio essentialiter distinguitur, et in suo individuo morali constituitur. Aliquid enim dicitur specificari, cum ab omni alio in suis essentialibus attributis differt : sic homicidium, furtum, fornicatio specie differunt.

2<sup>o</sup> Species peccatorum generatim desumuntur ex oppositione ad diversa præcepta, et ad diversa virtutes, necnon ex deformitate notabiliter diversa contra eandem virtutem, ut desperatio et præsumptio virtuti Spei opponuntur; utque delectatio morosa, fornicatio, adulterium, pollutio, etc., virtuti castitatis opponuntur. Quare distinguuntur species genericæ peccatorum, ut est luxuria, injustitia, et species subordinatæ, vel infimæ quæ diversa ejusdem virtutis attributa lædunt, ut modo de castitate diximus. *V. Comp. n. 157 et seq.*

145. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> *In primo casu* : ALEXANDER non satisfacit integritati confessionis, omittendo objectum specificum pravorum desideriorum : sicut enim objecta specie inter se differunt, ita etiam desideria; siquidem ex objecto specificantur. Idem dicendum de personarum qualitate si ex ea nova peccati species inducatur. Hinc, si ALEXANDER mulierem conjugatam, vel consanguineam, aut voto castitatis ligatam concupiverit, has species in confessione declarare debuit. *V. Comp. n. 157 et seq.*

146. — *In secundo casu* : plura sunt distinguenda : 1<sup>o</sup> Quoad furta, sola circumstantia loci sacri est aperienda, si res ad Ecclesiam pertinens, vel in ea deposita, subrepta fuerit. 2<sup>o</sup> Quoad gestus seu tactus graviter indecentes, circumstantia loci sacri probabiliter non est declaranda, nisi de peccato consummato agatur, quo solo Ecclesia polluitur. Sed circumstantia personæ sacræ et propinquæ reticere minime potuit. 3<sup>o</sup> Quoad aspectus, omitti potest probabiliter circumstantia loci sacri; quia turpi aspectu Ecclesia non violatur. Idem de circumstantia personæ sacræ et propinquæ; quia aspectus non inducunt, sicut tactus, malitiam specificam pro variis personarum circumstantiis, secluso tamen pravo desiderio, et complicitatis peccato, ratione cooperationis. *S. Lig. l. 3, n. 421. — V. Comp. n. 284 et seq., 424 et seq.*

147. — 3<sup>o</sup> *In tertio casu* : circumstantia detractionis in loco sacro non est necessario declaranda, quia locus sacer peccato detractionis non violatur. Idem dicito, *per se*, de persona sacra vel religiosa, quia eorum fama sacra non est. Excipe casum in quo Religionis detrimentum sequeretur, vel bonum fidelium damnum pateretur, vel si detractio in Sacerdotes et Religiosos omnes, aut saltem in aliquod cœnobium redundaret.

## CASUS III.

DISTINCTIO SPECIFICA PECCATORUM 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> NICOLINUS peccavit die Dominica, imo ipso die Communionis, cum BERTA famula sua, et in tertio gradu consanguinea; confitendo autem dicit se rem cum aliqua muliere habuisse.

2<sup>o</sup> Alias, cum in quadam vigilia ad jejunium teneretur, non solum ex præcepto Ecclesiæ, sed etiam ex voto, imo ex pœnitentia sacramentali, se accusat tantum quod jejunium in vigilia omiserit; neque dicit se hac eadem die carnes comedisse.

## HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An, vel quomodo vitiosa sit confessio NICOLINI in primo casu?*

2<sup>o</sup> *An, vel quomodo peccaverit NICOLINUS contra integritatem in secundo casu?*

## SOLUTIO :

148. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Vitiosa est confessio NICOLINI in hoc, quod omiserit circumstantiam specificam peccati cum consanguinea commisi; quia incestum non patefecit. Proinde hunc defectum supplere debet. Non autem vitiosa est in cæteris, in rigore loquendo; quia circumstantiæ omisæ speciem peccati non mutabant. Hinc : 1<sup>o</sup> circumstantia diei Dominicæ non fuit necessario declaranda. *S. Lig. l. 3, n. 273.* 2<sup>o</sup> Neque probabiliter circumstantia diei Communionis, *per se*; secus enim Sacerdos qui grave peccatum accusaret, dicere deberet utrum hac die, priusquam peccaret, Missam celebrasset, necne, quod a praxi communi alienum est. Dixi tamen *per se*; quia, si quis statim a Communionem peccatum turpe patraret, ultra peccatum contra castitatem, sacrilegii reus fieret. *Tamb. tr. 3, de 3. præc. n. 8.* 3<sup>o</sup> Nec fuit necessario declaranda circumstantia famulatus; quia peccatum heri cum ancilla sua speciem novam non inducit, nisi sit adolescentula a parentibus speciali custodiæ domini commissa, ita ut quasi contractus de hoc intervenerit.

149. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* NICOLINUS peccavit contra integritatem sub omni respectu in secundo casu. Etenim declaravit tantum jejunii violationem, perinde ac si legem Ecclesiæ tantum violasset, et tacuit violationem voti et omissionem pœnitentiæ sacramentalis, ex quibus duplex peccati species inducta fuit, cum obligationes illæ ex principio et causa diversa injunctæ fuerint. Insuper NICOLINUS etiam deliquit contra integritatem confessionis, esum carnis omittendo; quia in jejunio est præceptum virtualiter duplex, scilicet, quatenus abstinencia a duplici refectione et a carnibus præcipitur. *V. Comp. n. 159.*

## CASUS IV.

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> BASILIUS, gravi tentatione contra castitatem impulsus, pravo desiderio interne consentit, efficaciter peccare proponit, occasionem tota die quærit, pravum propositum interea millies iterat, nec unquam revocat. Tandem, inventa occasione, præmissisque turpiloquiis gestibusque indecentibus, actum externum peccati perficit. Pœnitentia autem ductus, sic confitetur : « Semel fornicationis peccatum commisi. »

2<sup>o</sup> PAULUS, cum furari vellet centum nummos, quibus indigebat ad de-

bitum quoddam persolvendum, ne detegeretur, viginti vicibus prædictam summam ex arca *Caii* abstulit : confitendo autem dicit tantum, nummos centum fuisse furatum.

3° FLAVIUS, confessionem instituens, se accusat quod per totum annum fratrem suum odio habuerit; quod per plures dies fornicandi desiderium foverit, sed postea ei renuntiaverit; quod per diem morosis cogitationibus delectatus fuerit.

HINC :

QUÆR. 1° *Quomodo peccata numero distinguantur?*  
2° *An prædicti penitentes rite confessi fuerint?*

SOLUTIO :

150. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Desumitur distinctio numerica, tum ex diversitate objectorum moraliter diversorum, ut sunt furtum, mendacium, detractio; tum ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum, v. g. si quis, patrato aliquo peccato et posito intervallo, illud iteret : tunc enim novus actus a præcedente omnino diversus ponitur; et proinde novum peccatum constituitur. Actus mere interni facilius per interruptionem multiplicantur, quam actus qui adnexum habent propositum actionem externam ponendi : quia priores, posito intervallo, aut actus cessatione, eo ipso cessant; et, si renoventur, novum actum efficiunt, cum unio moralis inter eos existere nequeat : posteriores vero in ipso proposito perseverare possunt, etiam ad plures dies. Imo, si peccator paret media ad peccati consumationem, omnes actus prævii quid unum morale cum actu intento efficiunt, nisi *per se* novam inducant speciem, quæ ex se ad peccati complementum non tendat. *V. Comp. n. 160 et seq. — S. Lig. n. 36 et seq.*

151. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* 1° BASILIUS, *in primo casu*, integritati confessionis satisfecit, quia unicum peccatum commisit; siquidem actus prævii, quos posuit antequam fornicationem patraret, ad eam in pravo proposito, referuntur, et cum ea unicum objectum totale constituunt.

2° PAULUS pariter obligationi confessionis satisfecit, quia, licet varios actus malos physice posuerit, unicum tamen voluntatis actum moraliter admisit, cum varia hæc furta per modum unius apprehenderit.

3° FLAVIUS, *in tertio casu*, non satisfecit. Etenim, cum agatur de peccatis mere internis, necessario multiplicari pluries et forte sæpius debuerunt, siquidem multiplex interruptio fieri debuit. Sed cum numerus peccatorum, his in rebus, plerumque obtineri nequeat, satis erit dicere an frequenter actus peccaminosos renovaverit, an pluries in die, etc. *V. Comp. ibid. — S. Lig. n. 36 et seq.*

## CASUS V.

### DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM 2°.

ROCHUS sequentia patravit peccata :

1° Unico actu detraxit de familia quæ decem membris constabat, necnon de integra communitate religiosa, coram pluribus audientibus.

2° Rem ad plures hæredes, non divisa adhuc hæreditate, pertinentem, furto subduxit.

3° Equitem uno ictu cum ipso equo occidit.

4° Proposuit omittere totum jejunium quadragesimale; et ex media parte omisit. Sic autem postea de his omnibus confitetur : « Semel detraxi de proximo. — Semel in re gravi sum furatus. — Hominem occidi. — Jejunium per mediam Quadragesimæ partem omisi. »

HINC :

QUÆR. 1° *An sufficiat Rochi confessio?*  
2° *Qualis sit numerus peccatorum in singulis?*

SOLUTIO :

152. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* ROCHUS minime integritati confessionis satisfecit, quia plura peccata in singulis casibus omisit, ut ex dicendis patebit.

153. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. In primo casu*, juxta *S. Lig.* et alios, tot peccata commisit, quot sunt personæ in familia vel in communitate cui detraxit; quia tot sunt jura violata. Etenim, præter jus ad famam, quod habet familia vel communitas, tanquam persona moralis, datur etiam jus idem in singulis ejus membris seorsim sumptis. Numerum igitur membrorum familiæ vel communitatis declarare debet, saltem approximative, si expresse nesciat. An numerum quoque audientium declarare debuerit, affirmant quidam. Alii vero multi, et maximæ notæ Theologi, probabiliter contrarium tenent. Sic *Lugo, de Pœnit. D. 16, n. 135.* Detrahere enim coram pluribus videtur esse tantum circumstantia aggravans; cum jus ad famam sit unicum apud omnes, non multiplex. *V. Comp. n. 165. S. Lig. n. 49. — Lugo, etc.*

*In secundo casu*, juxta *S. Lig.* et alios, tot sunt peccata furti, licet actus fuerit unicus, quot sunt hæredes ad quos res sublata pertinebat; quia singuli injuria speciali affecti fuerunt. At, juxta alios, unicum est furti peccatum. Sic *Lugo, D. 16, n. 136, Tambur., etc.* Utraque sententia æquali gaudet probabilitate : at praxis tum Confessariorum, tum pœnitentium posteriori opinioni favet, ait *Tambur. Meth. Conf. l. 2, c. 1, n. 65.*

154. — *In tertio casu*, duplex peccatum commisit ROCHUS, quia duplicem injuriam specie diversam equiti intulit, scilicet violando ejus personam, et rem ad ipsum pertinentem. Si prius hominem occiderit, hæredum jura, jumentum perimendo, violavit.

*In quarto casu*, totidem peccata committit, quot dies in quadragesimali jejunio numerantur. Etenim, licet actus internus voluntatis sit unicus, non unicum afficit opus, sed plura opera quæ minime sunt conjuncta inter se, veluti sane sunt dies jejunii in Quadragesima, quorum singuli inter se distinguuntur, nec quid unum morale efficiunt. Totidem etiam peccata patravit quot sunt dies quibus jejunium non servavit. *Lugo, de Pœnit., D. 16, n. 539 et 546, cum aliis contra alios* qui dicunt unicum patrari peccatum in præfato proposito. *V. Comp. n. 163, 7°.*

## CASUS VI.

## DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM 3°.

1° DELPHINUS inimicum occidere statuit. Quapropter emit gladium, struit insidias, hominem pluribus diebus exspectat juxta locum qua transiturus est, accedentem percutit pluries, et tandem eum occidit.

2° Alias, puellam seducere volens, varia media ad hunc finem adhibuit, nempe verba parum casta vel adulatoria, epistolas amatorias, aspectus turpes, tactus inhonestos; sed peccatum peracturus, ex casu fortuito superveniente, illud consummare non potuit.

HINC :

QUER. 1° *An plura peccata commiserit DELPHINUS in primo casu?*

2° *An plura, vel quot patrauerit in secundo casu?*

3° *An, peccato non patrato, media etiam indifferentia ad illud peragendum adhibita accusanda sint?*

SOLUTIO :

155. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* DELPHINUS, in primo casu, unicum peccatum commisit, quia actus prævii quos posuit ad homicidium referebantur, et cum eo unicum actum moralem, seu unicum objectum totale constituiebant. Fur autem qui occidit hominem ad eum spoliandum duplex patrat peccatum, quia homicidium constituit speciem peccati diversam ex natura sua, nec *per se* ad furtum ordinatur. *S. Lig. n. 41 et seq.*

156. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* DELPHINUS, in secundo casu, tot peccata fecit quot sunt media specie diversa et mala ex natura sua, quibus usus est. Ergo debuit DELPHINUS accusare seorsim verba turpia, epistolas amatorias ad seducendam puellam scriptas, aspectus turpes et tactus inhonestos. Ratio est, quia, peccato non consummato, illa varia media in se mala ad finem jam referri nequeunt, et quid unum in peccati consummatione constituere. Ergo illi actus singuli cum sua malitia propria spectandi sunt; ergo seorsim sunt accusandi in confessione. *S. Lig. n. 42.*

157. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Controvertitur; sed probabiliter non sunt declaranda singillatim omnia media ex se indifferentia, quia in se mala non sunt, sed satis est dicere peccatum actibus externis attentatum esse. Si tamen media mala fuerint in se, declaranda sunt, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus turpes, verba obscena ad sollicitationem in peccatum adhibita. *V. Comp. n. 164.*

## CASUS VII.

## DE PECCATIS INTERNIS 1°.

DIDYMUS et NICODEMUS, uterque theologus, acriter de integritate confessionis disputando, circa modum peccata mere interna accusandi graviter dissentiunt. — Satis est, ait DIDYMUS, si penitens dicat: « Cogitationes pravæ, v. gr. contra castitatem vel caritatem in mente volvi, » relictis

speciebus infimis, necnon omnibus personarum rerumque circumstantiis, solo excepto efficaci desiderio.

« Minime, inquit NICODEMUS, sed penitens sedulo explicare debet: 1° objectum singularum cogitationum; 2° circumstantias objectivas desideriorum etiam inefficacium, v. g. circa personarum conditionem, etc.; 3° omnes objectivas circumstantias meræ delectationis morosæ. »

Tu autem, certaminis spectator, cuinam jungis manus? scilicet, quis sit audiendus? prior vel posterior? seu, quid in confessione declarandum sit?

HINC :

QUER. *Quis e duobus contendentibus erret?*

SOLUTIO :

158. — *R.* Quis errat? Uterque contendens; turpius vero DIDYMUS.

I. Damnandus DIDYMUS, et quidem ex triplici capite: 1° Quidem, quare eximit penitentem ab accusandis speciebus infimis? Nonne species cunctæ, ex Concilio Tridentino, accusandæ sunt in confessione? 2° Quare etiam a declarandis desideriis inefficacibus adeo large dispensat? Desideria, licet inefficacia, seu licet careant proposito media adhibendi ad eorum executionem, essentialiter tamen a simplici delectatione mala differunt, et diversam speciem inducunt. Imo, haud secus ac desideria efficacia, omnibus objecti speciebus vestiuntur. Sic, detentus in carcere, qui conjugatam vel consanguineam concupiscit, has circumstantias exprimere debet, quamvis ne cogitet quidem de mediis ad peccatum patrandum adhibendis, cum id minime possit. Ergo non satis est si dicat: *Fornicationem desideravi.* 3° Quare tam facile excusat ab explicandis circumstantiis indiscriminatim? Errat sane. Equidem, si agatur de sola representatione, probabiliter malitia circumstantiarum objecti non contrahitur; secus vero de quocumque desiderio dicendum est, quia desiderium, cum in objectum, ut tale, feratur, malitiam circumstantiarum ejus specificarum induere debet. *S. Lig. n. 15. — S. Thom. 1. 2, quæst. 74, art. 8.*

159. — II. Damnandus quoque NICODEMUS, quippe qui in nimiam severitatem propendit. 1° Quidem, male requirit ut omnes circumstantiæ meræ delectationis morosæ explicentur. O miseros penitentes et infelices Confessarios, si hæc obligatio adesset, ut is dicit! Quot incommoda hinc et inde, in fœda hac internorum peccatorum materia evolvenda! Saltem explicandæ non sunt circumstantiæ quæ speciem non mutant. Cum hoc probabilius sit in cæteris, a fortiori hac in re periculosissima. 2° Imo, nec sunt adigendi penitentes ut circumstantias específicas objecti referant, quia probabiliter mera delectatio, quæ non transit in desiderium, has species non inducit. *V. Comp. n. 167 et seq. — Lugo. — Laymann. — Reuter.*

160. — *NOTA.* Objectum quidem specie diversum pravæ delectationis *per se* est declarandum, quia complacentia in representatione, v. g. aspectus turpis, differt specie a representatione fornicationis, etc. Sed in praxi difficilior esset Confessario de his in particulari interrogare, idque gravissima induceret incommoda quæ omnino vitanda sunt. Insuper, qui facile consensum pravæ cogitationibus præbent, facile etiam quibuslibet representationibus adhæsisse censentur.

## CASUS VIII.

## DE PECCATIS INTERNIS 2°.

BLASIUS, in gaudium pronus, de rebus plurimis absque scrupulo delectatur, gaudet et gestit.

1° Gaudet de morte fratris, quia ipse solus hæres remanet.

2° Gaudet de morte filii quinquennis, ob ipsius felicitatem et familiæ sublevamen.

3° Gaudet ex eo quod die præcedenti ignoraverit urgere jejunium cum abstinentia, et sic absque peccato onus præcepti prætermiserit.

4° Gaudet et gestit cernendo mulieres plebeias inter se rixantes, convicia et verbera intorquentes et retorquentes. Gaudet pariter audiendo furtum ingenioso modo patratum.

HINC :

QUÆR. *Quid de gaudio BLASII in singulis casibus?*

SOLUTIO :

161. — *R.* BLASIUS in pluribus de gaudio tristari debet, modo tamen non de spontanea complacentia, sed de actibus plene deliberatis agatur; in cæteris fere cunctis excusandus.

1° Graviter peccat gaudendo de morte fratris, si de ea morte secundum se gaudeat, etiamsi id non faciat ex displicentia personæ, sed ex eo quod ipse solus paternam hæreditatem sit collecturus; quia non licet gaudere de damno alterius, et a fortiori fratris, ob emolumentum inde proveniens. Constat ex propositione 13<sup>a</sup> nec non et 14<sup>a</sup> damnata ab *Innoc. XI.* Non posset enim mortem fratris hac de causa desiderare; ergo neque potest de ea gaudere. Secus vero si non de morte fratris gaudeat, sed de effectu tantum secuto, scilicet de hæreditate sibi obveniente. *S. Lig. n. 21. — V. Comp. n. 173.*

2° Excusandus BLASIUS in secundo casu, quia ratio qua ducitur non destruit caritatis ordinem, siquidem bonum filii ipsius et totius familiæ intendit. At non item excusandus de gaudio ex hac morte concepto ob familiæ sublevamen; id enim revera esset contra ordinem caritatis. *V. Comp. n. 173.*

3° BLASIUS non peccavit *per se*, in tertio casu, seu gaudendo ex eo quod propter ignorantiam a præcepti molestia liberatus fuerit. Ratio est, quia gaudium, seu delectatio, non est de violatione legis, siquidem is noluisset eam infringere si eam novisset, sed de bono ex ignorantia legis obtento, quod culpa vacare potest, ubi objectum legis non est intrinsece malum. — Peccaret autem, si de ipsa præcepti violatione gauderet. *Lacroix, n. 86.*

162. — 4° Non peccat in quarto casu, quia non gaudet de re mala, sed de re admodum curiosa, etc.; seu potius gaudet de modo quo res peragitur

aut peracta fuit. Attamen, si gaudium esset de materia lubrica, timendum esset ne delectatio a modo in rem ipsam transiret. *V. Comp. n. 172, Nota 1°.* — *S. Lig. n. 48.*

## CASUS IX.

## DE PECCATIS INTERNIS 3°.

MARSILIUS peccare nollet, saltem graviter. Quapropter, desiderando quandoque res illicitas, sedulo apponit conditionem, nempe, si hoc vel illud malum non esset, v. g. : 1° die Veneris, ait : « Quam libentissime carnes hodie comederem, nisi lex Ecclesiæ obstaret! » 2° Alias auditur dicens : « Nisi peccatum foret, vellem ulcisci de inimico meo. » — Alias etiam dicit : « Si fornicatio prohibita non esset, eam admitterem. »

HINC :

QUÆR. 1° *An MARSILIUS peccaverit in primo casu?*

2° *An in secundo et tertio casu?*

SOLUTIO :

163. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* MARSILIUS in primo casu, excusandus est ab omni peccato; nulla enim culpa est desiderare esum carnis die prohibito, sub conditione si res prohibita non esset, quia, cum res non sit intrinsece mala, tota malitia conditione apposita aufertur. *S. Lig. n. 27.*

164. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* MARSILIUS peccavit, et quidem graviter, in duobus aliis casibus. Conditio enim apposita tollere nequit malitiam objecti, siquidem illud intrinsece malum est; insuper objectum intrinsece malum mutari nequit. Talia igitur optare, est desiderare ut lex et ordo naturæ mutetur, quod gravem induit deordinationem, et proinde grave peccatum. Attamen probabiliter excusandus est a peccato gravi ille qui nollet quidem ut id, quod intrinsece malum est, licitum fieret, sed tantum propensionem suam in illud objectum ostenderet. Verum hoc ipsum etiam est periculis plenum, ut nemo non videt. *S. Lig. Hom. ap. tr. 3, n. 50. — V. Comp. n. 171.*

## CASUS X.

## DE SUPERBIA.

1° BERTHUSA, vana mulier, 1° sæpe nutrit et fovet superbiæ cogitationes, et ambit hominum laudes; 2° centies in die imaginem suam in speculo contemplatur; 3° pluribus diei horis in exornando corpore magna diligentia et cura vacat; 4° gloriatur quod cæteras totius viciniæ feminas ingenio, decore, ornatu, educatione et divitiis superet; quare eas ordinarie superbe et arroganter alloquitur.

2° BRIANDUS se jactat coram aliis : 1° quod a nemine in peritia equitandi superetur; 2° quod a viginti annis confessus non fuerit, nec Missæ inter-